

infra quindecim dierum spatia, veniat et administretur. Quod vobis omni gratia et benevolentia nostra recognoscere volumus. Secus nulla ratione facturi. Datum 1537.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

1537. 2. MAJI. PRAGAE.

*Iterata Confirmatio Articulorum Generalis Congregationis Crisii A. 1537 celebratae.*

Ferdinandus etc. Reuerendi, Spectabiles, Magnifici. Nobiles, Egregij, Prudentes et Circumspecti fideles dilecti. Reddite sunt nobis littere vestre, quibus nobis gratias agitis de eo, quod generosum Joannem Catzianer etc. Capitaneum nostrum Generalem, pro Vestra defensione et Regni istius nostri Conservatione, cum auxiliarijs copijs ad Vos miserimus. Id quod pro paterna nostra in Vos omnes totumque Regnum istud nostrum, eiusque Regnicolas Cura, Solitudinemque, libenter sane ferimus. Cumque Articulos in Congregatione generali proxime Crisij habita, per Vos omnes vnanimi Consilio et Sententia conclusos, et ad Nos per dictum Joannem Catzianer transmissos, legissemus: Placuit Nobis nosmet ipsos rationem inire statuisset, qui cum fortunis et rebus nostris consultum fore ex aliqua parte existimaveritis; primum eum: quod ad dissensiones inter plerosque Vestrum exortas attinet, non possumus improbare, vos cum sedari minime possent, ita Reipublice causa decreuisse, vt istiusmodi Controversiarum actiones plane omnes vsque ad festum Natiuitatis domini suspendantur, et Interim quisque paci studeat et ab offensionibus abstineat. Tamen exoptatum Nobis fuisset, vt quidquid dissidij altercationisque reliquum est, componi sopirique quoquomodo potuisset. Nihilominus ex Constitutione illum vestrum, vt maxime necessarium et ad presentem rerum statum idoneum plurimum comendamus, Nihil dubitantes, quin tum in his, quam aliis, vestrum omnium consensu, ita mature deliberatis ordinatisque strenuam operam daturi sitis, vti debita ubique exemptio fiat, prout necessitas ipsa expostulat. Nam quod pro salute et defensione Vestra Octingentos Equites et ducentos pedites statim conducendos statueritis, non solum probatur, ut ingenue fateamur, verum etiam persuasum habemus, Vos pro totis viribus et facultate Vestra multo maiora auxilia subministraturos fore, cum res exigit, presertim qui Vestrum in hoc periculum agi versarique facile diiudicare possitis, quorum utique interest, vt in communem defensionem alacrius coniungantur, opemque simul conferant; quare singulari fide et studio in Nos Vestro freti, pro certo habemus, vos ex omni parte curaturos, sicut maiorem in modum cupimus desideramusque, vti cum prefato Generali Capitaneo Nostro mutuam Intelligentiam et Correspondentiam teneatis, eique quovis modo pro Regni istius Commodo vestrumque omnium tranquillitate et utilitate in omnem Casum auxilio adiumentoque sitis, nec non in iis, que ad eripiendos vos